Et eiciebat omneſ uendenteſ et ementeſ in templo, et menſaſ num-
mulariorum euertit, et cathedraſ uendentium columbaſ. Gene-
raliter itaque ſuper docuit ſeculareſ a dei templo abeſſe debere con-
tractuſ; ſpecialiter autem nummularioſ pepulit. Qui ſunt nummularii, niſi qui de pecu-
nia domini lucrum querunt, nec bona malaque diſcernunt. Pecunia enim domini
ſcriptura diuina eſt. Nam et denarioſ ſeruiſ diſtribuit profecturuſ, et talenta
diuiſit; et pro ſanitate hominiſ uulnerati duo aera ſtabulario dereliquit.
Duobuſ enim teſtamentiſ uulnera noſtra curantur. Sed tu quaſi bonuſ nummulariuſ elo-
quia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum recede, purgatum ſpiritu ſe-
ptiformi; nec adulteram imaginem regiſ, quo et ſathanaſ tranſfigurat ſe in
angelum lucis, impia commutatione ſuſcipiaſ; nec in minutam principiſ
tui figuram arrianae fraude perfidiae theſauro tuo miſceaſ; nec pecuni-
ae ſono aureſ temptes fidelium, ut religioſarum audientium ſcripturarum tin-
nituſ aeriſ excludatur, uel religioſiſ affectibuſ habendi cupiditaſ inſe-
ratur. Non ergo omneſ excluduntur nummularii; ſunt enim et boni. Denique pecuniam
meam inquit dediſſeſ nummulariiſ, et ego ueniens cum uſuriſ recepiſſem eam.
Quod ſi nummuſ eſt ſcripturarum, et uſura eſt ſcripturarum. Cathedraſ autem uendentium co-
lumbaſ cur euerterit, ſecundum litteram non intellego. Neque enim nundina-
toreſ auium uendicare ſibi poterant honorati alicuiuſ in nundiniſ ſolii
dignitatem; nam quae prerogatiua dignitatiſ eſt in columbiſ? Admonet tamen
dominici forma baptiſmatiſ, quando deſcendit ſpiritus in columbe typo, eie-
ctorum de templo huiuſmodi mercatorum, in eccleſia dei conſortium eoſ non poſſe habere
qui ſancti ſpiritus gratiam nundinentur. Gratiſ inquit accepiſtiſ, gratiſ date. Denique
ſymoni qui ſanctificandi muneriſ pretio in ſe putauit poſſe conferri, reſpondit
petruſ: Pecunia inquit tua tecum ſit in interitum. Quoniam gratiam dei putaſ te
pecunia conſequi poſſe, non eſt tibi parſ neque ſorſ in hac fide. Uenditoreſ quoque
ouium et boum, eoſ puto qui de labore alieno uel ſimplicitate fidei au-
ctionatoreſ quaſdam nundinaſ aucupantur. Aut qui oueſ eiciuntur et boueſ.
columbe iubentur auferri, ipſe uidetur iudeuſ excludi; eſſe enim ſine co-
lumba, quod eorum dominuſ et ſucceſſioneſ oderit et laboreſ. Es effunditur, ut

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 289 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/fr/sbe/0166/289)